

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0981

0979

0985

0975

0990

0970

1030

0930


1080

0880

0480

Ende

Anfang



408

Clamore cessante processi ad serviendum vigiliae meae et reperi Trutschelmannum Sarracenum Calinum majorem, insistentem orationi flexis genibus et modo sarracenicis gestibus habentem, cumque me audivisset, oratione cessavit, interrogans me, cur non in tentorio manerem, cui cum dixissem propter custodiam vigiliae, contentus fuit, convertit autem se contra desertum ad meridiem et ostendit mihi stellam perlucidam, noviter ortam, dicens, eam esse et dici ab omnibus stellam S. Catharinae et ecce, inquit, sub hac stella est mons Synai, ad quem tendimus, et quando noctibus erit peregrinandum, non alia via sumus processuri, nisi contra faciem illius stellae processiverimus, usque quo penitus sub ipsa fuerimus in monte Synai. Post recessum vero a monte Synai retrospicere solebam ad stellam illam, eamque vidi in Aegypto existens et in Alexandria degens et per maris longa spatia; tandem autem post transitum Cyprum, dum in Cycladum insulas venissemus, eam amplius videre non poteram, propter nimiam elongationem et climatis alterationem. Et ita transivit nox illa prima.

De ulteriori processu in deserto.

Decima die, dum aurora surgeret, surreximus et nos, et dejectis tentoriis depositisque tabernaculis et omnibus colligatis ad recessum nos aptavimus. Porro camelarii nostri tardi erant et quasi cum taedio et involuntarii camelos onerabant et multa de rebus nostris jacere dimittebant, unde magnos clamores et rixas habuimus ad invicem. Nos enim maledictiones teutonicas intulimus et ipsi nobis arabicas et conclamavimus, nec ipsi nos, nec nos eos intelleximus. Taedet me profecto scribere nequitias eorum, quibus nos quasi omnino mane in oneratione bestiarum turbabant, cum industria enim aliquid jacere permittebant, vel lectulum, aut sportam, aut saccum, scientes nos oculum habere ad illa. Hoc autem ideo faciebant, ut peregrinus ille, cui derelicta res erat, cogere retur eos petere accipere, et ipsi petebant vice versa eum pro denariis vel panibus, et simulabant, se rem velle dimittere, nisi dato pretio. Et ita in principio ante experientiam et